



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Hvbaldo Pisano Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè  
substituendis in perpetuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

# Romani Pontificis Lib. I.

31

H V B A L D O P I S A N O  
Archiepiscopo, ejusque successoribus  
canonicè substituendis in perpetuum.

Epiſt. 56.  
De conſirma-  
tione Turita-  
nen, Calaritan.  
& Arbonen,  
provinciarum  
primatus.

Vide Acta In-  
nocentij II apud  
Baron. ad ann.  
m. §. 6.

**S**I sua cuique jura illibata servamus, & eos qui in Ecclesia Dei pro injuncto sibi officio & devotione sincera plus alii elaborant, dignæ retributionis vicissitudine diligenter ac specialius honoramus, quod nostrum est juxta commune debitum, sicut debemus, exequimur, & apostolicae sedis honorem integrè custodimus. Proinde cum felicis memoriae prædecessor noster Innocentius Papa de discordia & guerra, quæ inter Pisani. & Ianuen. civitates extitit, multas hominum clades & Christianorum captivitates innumeræ provenisse considerans, utriusque partis saluti tam spiritualiter quam temporaliter paterna solicitudine studuerit providere, atque pro bono pacis, & recompensatione episcopatum, quos utique a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ Pisaniæ concessos in insula Corsica à prædecessore tuo bona memoriae Archiepiscopo Vberto accepit, in Galuren. judicatu duos episcopatus, Galterlin. videlicet & Civitaten. & Populonien. episcopatus, sibi ejusque successoribus, & per eos Ecclesiæ Pisaniæ concesserit, & metropolitico jure subjecerit; Nos, qui in sedis apostolicae administratione, licet indigni, disponente Domino sibi successimus, eandem concessionem, antecessorum nostrorum bona memoriae Adriani, Alexandri, Clementis, & Celestini Papæ vestigiis inharentes, auctoritate apostolica confirmamus, & ratam manere censemus. Prædecessorum quoque nostrorum vestigiis inharentes, vobis primatus honorem Turitan. provinciæ confirmamus. Ad majorem etiam honoris cumulum Pisaniæ civitatis, ut Pisaniæ Ecclesia cum universo ejusdem civitatis populo in fidelitate atque devotione sacrosanctæ Romanae Ecclesiæ jugiter perseveret, & in ipsa quotidie augmentetur, pro devotione quoque & honestate tua frater Vbalde Pisane Archiepiscopo, personam tuam & per te Pisaniæ Ecclesiam ampliori munere volunus decorari. Tibi ergo tuisque successoribus primatum super Calaritan. & \*Arbonen. provincias datum concedimus, & auctoritate sedis apostolicae confirmando; ita quidem ut eos ad Concilium vocandi, excessus eorum corrigendi, & in doctrina apostolica confitmandi, atque cetera omnia, quæ ad jus primatus pertinent, in eos exercendi habeatis liberam facultatem. Veruntamen supradictarum duarum provinciarum Archiepiscopos ad Concilium non vocabitis Pisaniæ, sine conscientia Rom. Pontificis. Super Turitan. verò provinciam, dignitatem primatus, sicut à prædecessoribus nostris Ecclesiæ Pisaniæ concessum est, habeatis. Legationem quoque Sardiniae à prædecessore nostro Papa Urbano prædecessoribus tuis concessam, & felicis memoriae Innocentij, atque Anastasi, & Celestini Romanorum Pontificum privilegiis in perpetuum roboratam, tibi tuisque successoribus presentis scripti pagina confirmamus, & confirmationem ipsam ratam & inconvulsam perpetuis temporibus decernimus permanere. Denique ut Pisaniæ civitas, quæ favore cœlestis numinis de inimicis Christiani nominis victoriæ frequenter obtinuit, & eorum urbes plurimas subjugavit, amplius honoretur, equo albo cum \*nacho albo in processionibus utendi, & crucem, vexillum scilicet dominicum, per subiectas vobis provincias portandi, & per spacium illud Wlteran. episcopatus, quo de Pisaniæ episcopatu ad Populonien. transitur, tibi tuisque successoribus licentiam damus. Pallij quoque usum fraternali tui concedimus, ut videlicet eo secundum consuetudinem Pisaniæ Ecclesiæ perfruaris, & in consecrationibus trium Episcoporum in Corsica, Alerien. videlicet, Adiacen. & Sagonen. ac prædictorum duorum in Sardinia, & Populonien. Episcopi, quorum Metropolitanus existis. Si quæ igitur in futurum &c. Datum Laterani.

## VICENTIN. EPISCOPO.

**A**D aures apostolatus nostri pervenit quod cum quidam parochiani aut diabolico bona memoriae I. quondam Vicentin. Episcopum prædecessorem tuum nequiter peremissa, feuda & beneficia, quæ à Vicentin. Ecclesia obtinebant, ipsis per sententiam fuerunt cum multa deliberatione sublata. Quia igitur majori etiam sunt animadversione plebendi, nos bona memoriae Celestini Papæ prædecessoris nostri vestigiis inharentes, tam tibi quam successoribus tuis \*inhibemus, ne alicui

Epiſt. 57.  
Vt feuda, &  
beneficia inter-  
fectoribus Vi-  
centin. Episcopi  
per sententiam  
sublata non re-  
ſituauerit el-  
dem, nec alia  
conferantur.  
Cap. Ad aures  
de penit.

\*In qua ria Col-  
lezione & apud

\*Apud Vgħallia,  
Albateniem.